

qua occasione conatus fuerit infringere, et de ipsis rebus sæpeditis servis Dei aliquam calumniam vel molestiam [ingerere]... aut abbatem eis imponere, nisi solum illum, quem concors omnis congregatio sibi ex sese elegerit, qui eis prodesse et præesse secundum Regulam beati Benedicti valeat, hunc auctoritate sancti Spiritus sanctorumque apostolorum a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ, et a communione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, atque consortio omnium Christianorum anathematis vinculo ligatum separamus: ut, nisi cito resipuerit, omnia quæ depravaverat, corrigendo, cum rapacibus a regno Dei exclusus, perpetua damnatione feriatur.

XIII.

JOANNIS X EPISTOLA AD AIMERICUM NARBONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 928.)

Ecclesiæ Narbonensis possessiones confirmat.

[*Gall. Christ., tom. VI, Instrum., pag. 16.*]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, Aimerico, archiepiscopo sanctæ Dei Ecclesiæ Narbonensis, dilecto filio et confratri nostro. Litteras ab unanimitate tua nostro directas apostolatu apostolica patientia suscepimus, et ea quæ innotuisti admittentes, condoluimus vos tot pertulisse incommoda, vobisque compassi sumus; quoniam si unum membrum patitur, omnia compati debent, eo quod, secundum Apostolum et egregium prædicatorem gentium, hujusmodi sollicitudinem circumferamus; quia, ut apostolice fateamur: *quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? (II Cor. II, 29.)* Cum præsertim me humiliarem ut eos lucrifacerem... esse nolimus ab ipso Domino in specula constituti; qui vice beati Petri, apostolorum principis, cælestis regni clavigeri, vos instituere decrevi. Igitur reverentia vestræ fraternitatis postulavit a nobis quatenus sanctæ apostolicæ nostræ auctoritatis privilegio confirmare deberemus omnes res immobiles ejusdem sanctæ primæ sedis ecclesiæ Narbonensis, constructæ in honore sanctorum Justi et Pastoris, ubi beatus Paulus confessor Christi corpore requiescit; hoc est omnes domos, cellas, ecclesias, villas, curtes, parochias, terras, prata, silvas, necnon et medietatem salinarum, et telonei, seu raticam et naufragium, monasterium S. Laurentii, et cellas cum omnibus eis pertinentibus, una cum familia eorum utriusque sexus, et ea quæ a piis dominis imperatoribus, marchionibus, sive aliis Deum timentibus in eadem ecclesia Narbonense collata sunt et consistunt, tam in ipso comitatu Narbonense, necnon et Redense, seu et Minerbense atque Ausonense, necnon et Biter-

rense, sive etiam Nemausense; et in comitatu Bisuldunense monasterium Bagnola, quæ est ecclesia fundata in honore S. Stephani martyris. Unde salubribus petitionibus vestris inclinati decrevimus, et a præsentis prima indictione hujus nostræ apostolicæ confirmationis privilegio roboramus, et in perpetuum apostolica auctoritate confirmamus in usum et solatia ejusdem sanctæ primæ ecclesiæ Narbonensis cui præesse dignosceris, id est omnes domos, cellas, ecclesias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, silvas, necnon et medietatem salinarum et telonei, seu raticam atque naufragium, monasterium S. Laurentii et cellas cum omnibus eorum pertinentiis, una cum familia eorum utriusque sexus, et omnia quæ a piis dominis imperatoribus et marchionibus, sive aliis Deum timentibus in eadem ecclesia Narbonense collata sunt, vel (conferenda) collatura erunt, tam in ipso comitatu Narbonense, etiam et Redense, seu Minerbense, atque Ausonense, necnon et Biterrense, item jure firmissimo a te tuisque successoribus possideri volumus ac dominari.

XIV.

JOANNIS X EPISTOLA AD RODULFUM REGEM FRANCORUM, WIDONEM ARCHIEPISCOPUM LUGDUNENSEM, etc.

(Anno 928.)

Monasterium Cluniacense commendat, cui donatas a Bernone abbate res monasterii Gigniacensis, quas Wido abbas abstulerat, restitui vult.

[*Bullar. Cluniac. 2.*]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio RODULFO (567) glorioso regi Francorum, necnon reverendissimo et sanctissimo confratri nostro WIDONI sanctæ Lugdunensis Ecclesiæ archiepiscopo, atque reverendissimis episcopis STATEO et BERNONI, comitibus HUGONI et GISLEBERTO.

Auditum nostris apostolicis auribus quod Guido abbas per violentiam abstulit a Cluniaco hoc quod Berno abbas de potestate (568) Gigniacensis monasterii sub censu tenendum legaverat. Quapropter monemus dilectionem vestram quatenus res omnes illas Cluniensibus restituatis. Quia vero prædictus Wido conqueritur quod Berno abbas hoc legaliter non fecit, pro eo quod terminum temporis ac personarum in illò suo testamento non posuit; nos ad quorum dispositionem utraque loca pertinent, jubemus (569) et constituimus ut, quandiu ex illis monachis, qui in Ginniaco professionem fecerunt, aut oblati sunt apud Cluniacum, aliquis vixerit, res ipsas monachi Clunienses teneant sub nostra ditione, nisi forte ipsi monachi sua sponte res ipsas dimiserint. Cæterum vobis, o fili Rodulfe, et fidelibus tuis, qui monasterio Cluniensi prodesse valeant attentius, et abbatem et congregationem vestræ dilectioni com-

(567) Hoc rescriptum notis chronicis destitutum est: sed ex Widonis litteris colligit Mabillonius id scriptum fuisse ante annum sextum Rodulfi regis, seu anno Christi 928, paulo post obitum Bernonis.

(568) Vulgo Gigni, in territorio Lugdunensi.

(569) Huic temperamento Wido acquievit edito instrumento, cujus est hæc clausula: *Ego Rotgarius sacerdos rogatus scripsi et subscripsi, atque dotavi XII Kal. Februarii, anno VI, regnante Rodulfo rege.*

mendamus, utque locus ille, qui sanctæ nostræ sedi commissus est, sese pro amore apostolorum, mundi videlicet iudicum atque paterna dilectione bene gaudeat elegisse.

XV.

JOANNIS X EPISTOLA AD WENNI ARCHIEPISCOPUM
HAMBURGENSEM.

(Anno 914-928.)

Illi pallium mittit et privilegia Hamburgensia confirmat.

[Apud Lappenberg, *Hamb. Urk.* I, 59.]

† JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri WENNI, venerabili archiepiscopo Hammenburgensis Ecclesiæ, tibi tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pol-
lentibus benevola compassione succurrere, et pos-
centium animis alacri devotione impertiri assensum.

Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud Deum proculdubio promeremur, dum venerabilia loca oportune ordinata ad meliorem fuerint per nos statum perducta. Igitur, quia postulasti a nobis quatenus archiepiscopatum Hammaburgensem totum in integrum tibi tuisque successoribus confirmarem, sicut a beato Gregorio, Nicolao et aliis prædecessoribus nostris decretum est, inclinati precibus tuis, pallium tibi ex more transmittimus, et quæcunque ab eis Ecclesiæ tuæ et antecessoribus tuis data sunt et privilegiis confirmata, nos apostolica auctoritate tibi concedimus et nostro privilegio confirmamus, scilicet omnia quæ generaliter atque specialiter ad eundem præfatum archiepiscopatum pertinent, quæque tui antecessores... Jesu Christo.

Data iv Kalendas Novembris per manus Leonis, sanctæ Romanæ sedis cancellarii. Anno domini Joannis papæ primo, indictione 9.

ANNO DOMINI DCCCXXXIX.

LEO PAPA VI.

NOTITIA HISTORICA.

Leo, Christophori primicerii filius, hujus nominis sextus, factus est pontifex circa finem anni 928, tempore Constantini imperatoris. Sequenti anno in carcerem detrusus, post sex menses et dies 5 (al. 15) mortuus est, ut testantur versus Frodoardi de Pontif. Rom., apud Mabill. Actorum sæc. III, p. II, p. 607.

Pro quo (Joanne) celsa Petri sextus Leo regmina sumens
Mensibus hæc septem servat quinisque diebus
Prædecessorumque petit consortia vatum.

LEONIS PAPÆ VI

EPISTOLA

AD EPISCOPOS DALMATIÆ.

(Anno 928, 29.)

Forminum Jaderensem et Gregorium Nonensem cæterosque Dalmatiæ episcopos hortatur ut Joanni archiepiscopo Spalatino, pallium adepto, pareant. Jubet finibus suis quemque episcopum, nominatimque Absorem, Arbensem, Ragusanum, contentum esse, Gregoriumque Croatorum episcopum in administranda ecclesia Scardonitana acquiescere.

[Apud Ughelli, *Italia sacra*, tom. V, pag. 1421.]

LEO episcopus, servus servorum Dei, FORMINO sanctæ Aderensis Ecclesiæ episcopo, et GREGORIO sanctæ Nonensis Ecclesiæ episcopo, omnibusque episcopis per Dalmatiam commorantibus, etc.

Quia gratiosa Dei omnipotentis misericordia vos in

episcopali infula constituit, dignum est ut vestro metropolitano sanctæ Spalatensis Ecclesiæ archiepiscopo summam reverentiam exhibere delectemini, quatenus per ordinem et per normam justitiæ gradientes, securi et intrepidi valeatis ad divinam con-